

DISSERTATIO PHYSICA,

In qua

# HEPTAS QVÆ- STIONUM,

AUXILIO SUPREMI NUMINIS,

Viri &

Suffragio & Approbatione Am-  
plissimæ Facultatis Philosophicæ,

In inelytâ Academiâ ABOENSÌ,

SUB PRÆSIDIO.

Viri Præclarissimi & Præcellentissimi

DN. M. PETRI HAHN,

Phyl. Profess. Ord.

In Auditorio Maximo.

Publico eruditorum examini sūstinetur

à

BALTHASARE BRYNOLPHI

GOVINIO Ingerm.

Auctore & Respondente.

Ad diem 18. Julij A. 1685.

---

Impr. apud IOH. L. WALLUM, A. T.

*et transfr.*

*Reverendissimo in Christo Patri ac Domino,  
Dn. JOHANNI GEZELIO, J.F.  
Diœc. Narvensis Superintendenti meritissimo,  
S. S. Theol. Doctori consummatissimo, Con-  
sistorii ibidem præsidi gravissimo, Scholarum  
dictæ Diœcesis Ephoro accuratissimo, patro-  
no & Evergetæ omni pietatis cultu ac obse-  
quio ætatem suspiciendo:*

*Pariter ac  
Pl. Reverendis & Clarissimis Dnn. Consistorii  
Assessoribus, Fautoribus & Promotoribus  
multum honorandis :  
Ut & Reverendo Domino*

**BRYNOLPHO ARVIDI GOVINIO,**  
Pastori in Jerswifari vigilantissimo, Genitori  
suo filiali obsequio æternum prosequendo:

*Nec non  
Spectatissimus & Prudentissimus Viris,  
Dn. CHRISTOPHORO BVBRI  
Arcis Nöreburgensis Quæstori attentissimo  
fidelissimoq.; ut & ad Jerswifari Conductor i  
expeditissimo, fautori & benefactori hone-  
ratissimo.*

**Dn. JOHANNI RÖRS**, Regiorum  
redituum Commissario accuratissimo, inq;  
Duderhooff Karhila Willstock & Jerswifari  
Arrendatori vigilans: faut. itid. honor ad.

**Dn. CLAUDIO LAURENTII WÄGER**, Civi &  
Mercatori Neoviensi prudentissimo, amico  
& fautori amando.

**R**epetit jam annus, Reve-  
rendissime Domine Su-  
perintendens, Mecœna-  
tes Optimi, Pater Carissime, Ce-  
terique, Fautores, bis suas vices, ex quo  
ad Regium hoc Atheneum, idque, Sacra-  
tico hoc tempore, præfulgido scilicet li-  
terarum jubare undiquaque coruscante  
deveni; quo temporis spacio, in id sum-  
mo studio incubui, ut ea, quæ à Præce-  
ptoribus meis honoratissimis tradeban-  
tur, quodammodo discerem, tenacique insi-  
gerem memoriae. Ast cum illud i-  
psum valde fuerit angustum studiisque  
meis ad maturitatem promovendis im-  
par, est quod mihi ignoscatis, vchemen-  
ter quæso, quod incomptum hunc mi-  
nusque elaboratum ingenii fætum in-  
vestrum sinum audeam effundere. Ac-  
cipite ergo hoc quidquid est speciminis,

vultu benigno, mīhiq; Clientiolorum  
vestrorum minimo, qui jam nimis ma-  
ture ab hoc Musarum Palladio discede-  
re cogor, benigne favete. Ipse vici-  
sum supremum illud Numen precibus  
supplicibus pro vestra incolamitate ve-  
nerari non desinam, quo Vos omni  
temporali & spirituali benedictione  
beatos, hisce terris in certissimum Ec-  
clesiae Emolumentum Vestrumq; pro-  
prium ornamentum atq; deus, diutis-  
simè felicissimeque dignetur comme-  
dare!

Reverendissimo Dn. Superim-  
tendenti,

Pl. Reverendis, Consistorialibusq;  
ut &

Carissimo suō Parenti,  
Ceterisq; Fautoribus &  
benefactoribus,

Fide & obsequio additissimu

BALTHASAR B GOVINIUS  
Auct, & Resp.

Ad

O. *Ornatissimum adolescentem,*  
Dn. **BALTHASAREM GO-**  
**VINUM** Ingermannum,  
Piorum parentum filium non de-  
generem, Physicè disputatorum,  
commilitonem dilectum:

**P**rospera quæq; tibi Gowine  
BALTHASAR, opto  
Ut fias multæ sedulitatis avus:  
Exhilaresquè tuos genitorem sic  
genitricem,  
Discendo verum perficiendo  
bonum!

*L. Mg.*

**ENEVALD. SVEN.**  
**Q.G.A.S.S.Th. Doct.**  
hodiè Acad. RECTOR.

*Egre-*

Egregiae insdolis & artium optimorum  
Studioſo indefeffo

DN. BALTHASARI GOVINIO  
Ingerm.

Amico dilecto,  
Publicè disputando ſemet exerecenti:

**Q**ui vixit tototerringlorius ævo;  
Terræ calcavit gramina pondus  
incers'.

Sed meliora tibi finxit praecordia ~~Titanis~~  
Govini, pergis qui monumenta tui  
Ingenii proferre ſatis, scandendo ca-  
thedram;

Unde ſolent docti fundere ritè ſonos,  
Nectar Caſtalidum qui ſkillant, Palladiſ  
artes'

Unde vigent, crescunt Palladii que  
viri.

Gratulor ergo tuis hiſ auſibus, atque pre-  
cabor,

Ut ſurgat Laus hinc nominis ampla  
Dei.

Honorū & amorū ergo dedit  
JACOB. FLACHSENIUS.

Viro juveni

Optimorum Artium studiis morumq; cul-  
turâ eximio,

DN. BALTHASARI GOVINIO,  
Dissertationem Physicam proprio  
Marte contextam, docte defenden-  
ti, Amico & Commiliti  
peramando:

Per Anagramma:

GRATUS. VANIS. ALBO. HI.

**G**RATUS eris Patriæ, Patri, pergratus  
amicis,

Quod tibi non VANIS invigilare lubet.  
ALBO vestitus qui incedit, criminis  
infons

Censetur, noxae nullius atq; reus,

Hi qui sic vitam traduxerunt sine  
fraude,

Acquirent tandem præmia largi;  
Vale!

L. Mq; gratulabat

S I M O N Zalpo  
Met. & Log. Prof. Ord.

Ornatissimo Juveni,  
Dn. BALTHASARI GOVINIO,  
De Quæstionibus quibusdam Phy-  
sicis docte Disputanti amica gratulatio, ad  
cognomen ejus adludens:

**T**u recte vivis si, curas esse quod  
audis,

Ut cecinit Lyrici Teja Musa,  
senis.

Est mihi Govinius, quod Ebrais  
esse Gevija

Adsolet antiquis; sit modo fir-  
ma fides.

Denotat hoc *corpus: ac corpore spi-*  
*rituali*

Pars pia sis, CHRISTI corporis  
innocui!

avngædiasì dedit  
AND. WANOCHIUS  
Pbil. Pract. & Hist. Prof.  
b.t.Fac. Phil. Dec.

IN

IN NOME IN JESU !

QVÆSTIO I.

An subjectum Physices sit Corpus na-  
turale?

**C**um Philosophi comma-  
tis non minimi, de hoc  
Subjecto Physicæ, in  
sententiarum eant divortia, ope-  
ræ pretium me facturum esse re-  
or, si in primis Pauca de voce *sub-  
iecti* delibem atq; præmittam:  
Discussa enim vocis hujus ambi-  
guitate, facilius cognoscitur id, de  
quo disceptatur. Notum quidem  
est, vocem *subjecti* varias subire  
significationes, qvas inter *subje-  
ctum* sverat dici præ primis id,  
cui aliquid inhaeret accidens, quæ  
prima hujus vocis est acceptio.  
*Subiectum* etiam secundo dicitur il-

la propositionis pars, de quo prædicatum dicitur: ut cum animal prædicatur de homine, vel etiam bruto; æquè enim de hoc genere participant dictæ species. *Tertio* solet quandoque materia dici *subjectum* per respectum illum, quem ad formam involvit. *Quarto* *Subjectum* dicitur in respectu eo, quem habet ad actionem & estimationem, & est illud, in quo Artifex semper exercet. *Quinto* dicitur illud *subjectum*, cui omnis Disciplina suam debeat necessarium & præstantiam & dignitatem, quo etiam sine nulla datur scientia; quippe illud omnis scientiæ est basis & fundamentum, quibus ea superstruitur. Et dicitur hoc non immerito *Subjectum*, cum accidentibus & affectionibus de eo demon.

monstrabilibus subjiciatur; vel,  
quia circa illud, puta *Subiectum*,  
omnis nostra versatur cognitio.  
In ultima hac acceptione vocem  
*Subiecti* jam intellectam volo; Ut  
ut nec ea omnis ambiguitatis  
prorsus sit expers: Sumitur enim  
vox *Subiecti* in eo significatu, vel  
genitivis vel nominis; nominis & genera-  
liter nomine *Subiecti* venit, totum  
id quod in aliqua scientia tracta-  
tur, utpote principia, affectiones  
& Species. Id nominis vel specialiter  
& proprie, dicitur illud *subiectum*  
scientiarum, quod hisce munitur con-  
ditionibus posterioribus; nempe,  
quod *subiectum* debeat esse nobis  
præcognitum, tam qua existenti-  
am, quam qua essentiam; vel,  
tum quod sit, tum quid nomen si-  
gnificet: Et ideo *subiectum* in

propria scientia non demonstra-  
mus, quamvis de eo per plurimæ  
dentur demonstrationes per cau-  
sam proximam & immediatam;  
Cum sit omnium, quæ in aliqua  
scientia ventilantur, basis atque  
fundamentum. De eo enim si  
quid foveretur dubii, omnia, quæ  
dicerentur, vel in nervum irent  
vel ad minimum Lectorem tene-  
rent de ejus principiis admodum  
suspensum atq; ambiguum. Se-  
cunda conditio est ut Subiectum  
sit *Ens* per se, quale ens etiam  
corpus naturale esse, argumentis  
rationibusq; satis asserti potest fir-  
mis: Cum enim natura nihil ali-  
ud notet, quam *materiam* & *for-  
mam*, à quibus etiam non re, sed  
ratione discrepat, nihil qua rem  
ipsum corpori superaddere pot-  
est.

est. De corporibus autem arti-  
ficialibus dispar ratio est; Illa e-  
niam, cum ars iis formam adjici-  
at extrinsecus, recte appellatum  
imus illa Entia per accidens: ta-  
lia sunt domus, mensa, Calceus, ve-  
stis. Duo enim in rebus artifi-  
cialibus occurruunt perpendenda,  
scilicet *res naturae* & *res artis*. Sperl:  
Inst. pag. 303. Nec fallit nomen  
geminum in subjecto Physicæ, ut  
idem Auctor in suis Exercit. pag.  
45. Hæc ea penuria est, bic iste vo-  
cabularum defectus. Penuria vocum  
cogit quandoq; ut inferius nominetur  
nominis non uno, quamvis sit unum,  
cum deest nomen inferius istud signifi-  
cans, nominamus ipsum nomine supe-  
rioris & differentiæ contrahentis:  
Non ut volumus, sed ut possumus.  
Non moror illam afferionem,

quā dicit non nemo corpora ar-  
tificialia etiam esse naturalia cor-  
pora, eo quod illa, æq; ac hæc sint  
quanta. Argumentum in forma  
**Syllogistica** tale est. *Quidquid*  
*est quantum illud est corpus naturale;*  
*Corpora artificialia, nimirum domus,*  
*mensa, scannum &c; sunt quanta: Ergo*  
*sunt corpora naturalia.* Sed respon-  
deo statim ad propositionem ma-  
jorem dicendo, eam, si absolute &  
absquè limitatione consideretur,  
esse falsam; distingvo enim inter  
id quod ἀρώτως & δευτέρως est quan-  
tum. *Qua* adhibita limitatione  
corruit minor: Cum corpora ar-  
tificialia non ἀρώτως, sed δευτέρως me-  
reantur dici quanta, adeoquè sic  
quantitatem non ad artem, cuius  
nec proles est, sed ad ipsam refe-  
rimus naturam. Et sic fulcitur se-

cun-

Eunda subjecti conditio, quā afficitur corpus naturale esse ens per se, non per accidens, veritate prorsus in expugnabili. *Tertia* ejus est conditio: proprias habere affectiones & propria principia, quorum basis & fundamentum est. *Ab eo enim Disciplinae habent quidquid habent.* Sperl: in suis Exercit: ideo subjectum in ea scientia, in qua est subjectum non consideratur, quatenus alteri inhæret; & omne quod in aliqua scientia consideratur, quatenus alteri inest, non est subjectum, ut doctè differit Sennertus de natura Physices. Et cum ejusmodi affectionibus non destituatur Corpus naturale, ut pote quantitate, quæ de eo per materiam, & qualitate, quæ de eo per formam demonstratur, tertius

am hanc conditionem Corporis  
naturali adesse maximè constat.  
Requiritur etiam in Quarta Con-  
ditione ut subjectum roti scientiæ  
sit adæquatum; & quidem ita, ut  
nec latius ea pateat, nec sit ea an-  
gustius. Coarctabitur igitur sub-  
jectum Physicæ intra eos Can-  
cellos & limites, ut nihil dicat, nihil  
scribat Physicus, nisi id quod Corpus  
naturale, quatenus tale concernit.  
Sperl. in suis Exercit. Et hoc mo-  
do subiecto Physicæ considerato  
duas assignatum eo illi partes;  
quarum prima sese instar mate-  
riæ habet, & vocatur *materiale*; seu  
res considerata, altera vicem su-  
bit formæ, diciturq; *Formale*, seu  
modus considerandi: Materiale  
seu res considerata pluribus dis-  
plinis competit necessum est: ast  
modum

modum considerandi, qui rem  
considerandam ad certam & pro-  
priam considerandi rationem  
contrahit, cuiq; scientiæ facimus  
peculiarem: Cum ab hoc non  
ab illa omnis scientiæ pendeat di-  
stinctio. Erit igitur subiectum  
adæquatum *Physices Corpus na-*  
*turale* quatenus tale, cum habeat  
propria principia, materiam &  
formam, propriasq; affectiones,  
quantitatem, qualitatem, motum,  
quietem, locum & tempus. Non  
ergo accedimus ad sententiam  
Thomæ Aquin. & aliorum Aristoteli-  
corum asserentium subiectum  
Physicæ esse *Ens mobile*: nec Al-  
berti Magni, qui statuit subiectum  
in omni scientia naturali esse *Cor-*  
*pus mobile* lib: 1. Physiorum,  
tract. 1. Cap. 3. quem etiam citat

Johannes Magirus Comment: in  
Physiol. lib: 1. Cap. 1. Nec eorum,  
qui substantiam naturalem, vel  
mundum pro subiecto Physicæ  
venditant, sententiæ subscribimus:  
**R**ejectur etiam illorum sententia,  
qui volunt subiectum Physices  
constituere tantum corpora mi-  
xta, cum in iis saltem deretur gene-  
ratio & corruptio; cætera vero  
corpora, utpote simplicia, cum  
sint & generationis & corru-  
ptionis expertia, nimirum Cœ-  
lum, stellas, aquas supercælestes  
& quatuor Elementa, sub obje-  
ctum Physicæ non posse cadere  
existimant.

Q. II.

## Quæstio II.

An verum Physicarum, cum sint mutabiles infinitæ, & singulares, detur scientia?

**N**otum equidem scientiam debere tractare res perpetuas eodemq; modo se habentes; non verò fluxas interituiquè obnoxias, cum illæ, non hæ sub scientiam cadere soleant quæ sunt caducæ ciroquè perituræ. Verum non absurdè statuitur etiam sub objetum Physices cadere res fluxas & mutationibus obnoxias, sicut & res perpetuas omnisq; interitus expertes per causam naturalem; cum ad disciplinæ hujus constitutionem non requiritur subjecti æternitas, sed sufficit ut sit inter subjectum & prædicatum necessaria

ria connexio: verbi gratia, quamvis rosæ evanescant & emoriantur, hæc tamen propositio nihilominus est vera: *rosa est planta, Gejus succus refrigerat*: quamvis homines sint, qua individua corruptibles, hoc tamen universale prædicatum verum est: *homo est animal rationale*: vel, quamvis homo in hoc vel illo individuo corruptibilis, tamen est humana species; ut re-  
Etè dicamus: *Sicut nulla species de novo oritur, ita nec ulla perit, sed ser- vantur antiquæ species in novis indivi- duis.* Nec tamen res Physicæ omnes sunt fluxæ & mutabiles: Corpo- ra enim mixta mutationibus sub- jiciuntur, non vero illa quæ sim- plicia audiunt.

Infinitæ sunt res physicæ: ve- ruma non respectu sui, sed imbe- cillita-

cilitatis intellectus nostri: non enim sic est meritum nostrum apud Deum, ut intellectus noster plus sciat quam ignoret. Et hinc non cadit scientiæ dignitas, sed cadit hominum ambitio. Sperit in suis Exercit.

Largimur etiam res Physicas esse singulares cum sensu percipi queunt, & sensus est singularium. Verum enim verò, quamvis hæc, quæ in contrarium adferri solent, satis sint speciosa, suæ tamen sponte ruant, si vel leviter tangantur, necessum est: cum Physico non incumbit considerare res singulares quatenus tales, & prout sunt in statu singularitatis, sed quatenus deducantur in statum universalitatis: ut doctè differit Doct: Cal: in Nool: pag. 77. & sic con-  
sider-

siderat Physicus res singulares,  
quatenus nāg' ὄλε seu universali  
ratione menti objiciuntur. Ma-  
girus comment. in Physilog. lib:  
1. Cap. 1. Physicus enim à singu-  
laribus quæ à sensibus accipit, men-  
te abstrahit universalia theorema-  
ta & necessaria, quæ colligit & re-  
vocat ad rationem scientiæ. vide  
dictum Magir.

### QVÆSTIO III.

*An Physica reditè secetur in partem ge-  
neralem & specialem?*

**R**obur hujus divisionis petitur  
primo à conditione subjecti,  
quod intellectui nostro sifititur  
modo duplici, generali & specia-  
li: Sumitur enim corpus naturale  
vel in modum totius, vel partis.  
Sit igitur pars Physicæ vel gene-  
ralis

xalis vel specialis; illa corpus in genere, hæc in specie exponit. Secundo sumitur vis hujus divisionis à conditione affectionum, quæ etiam sunt vel generales vel Speciales: quarum illæ, utpote quantitas, qualitas & cæteræ corpori in genere considerato tribuuntur; hæc vero corpori in specie sumpto, ut potentia ridendi & loquendi tantum homini afferitur, potentia hinniendi Equo, latrandi Cani &c. Johannes autem Magirus aliàs non mediocris eruditionis vir, in parte generali de principiis & affectionibus; in Speciali verò de ipsis corporibus agi acerrimè contendit. Ast cum nemini non intelcat considerationem affectionum naturâ esse posteriorem translatione Subjecti, proindè operæ pre-

xæ preuum duxi, si prius metho-  
do etiam accurata de contempla-  
tione corporis naturalis in genere  
agatur, & postmodum de eo in  
specie. Danæus de potissimum  
mundi partibus, nimirum de cœ-  
lo & Elementis, quæ reliquarum  
partium prima salutantur princi-  
pia, egit: in speciali verò de sin-  
gulorum generum naturis, pro-  
prietatibus & effectis, nempe  
Metallorum, Plantarum & Ani-  
malium. Et in hoc ipso insignem  
erravit errorem dictus Danæus:  
notum enim est Elementorum mu-  
nus esse geminum, adeoque non  
duntaxat esse corporum mixto-  
rum principia, eaque constituere,  
sed etiam integrare mundum, &  
proinde non ad partem genera-  
lem jure referri debere, sed spe-  
cialem,

cialem, cum sint veræ Corporis  
naturalis species. Timplerus in  
parte generali *de Cosmologia & Physiologia* agit, in parte vero speci-  
ali corporis naturalis species per-  
seqvitur. Verum enim vero va-  
pulat Timplerus, primo, eo qvod  
Cosmologiam & Physiologiam ut  
genus & species differre velit: Se-  
cundo, qvod Cosmologiæ priorem  
adsignet locum, cum Corpus na-  
turale subiectum hujus scientiæ  
constituat, unde prius heic de  
Copore naturali in Genere, quam  
de specierum collectione agi o-  
porteret. Tertio, qvod cosmologi-  
am partis generali inserere non ve-  
reatur, quæ tamen tantum speci-  
erum corporis naturalis collectio-  
nem suis principiis & affectionibus  
substratam contineat. Igitur pri-

mam divisionem, qvâ Physica dividitur in Generalem partem & specialem, admittimus, ita, ut in illa expandatur genus, hoc est, *Corpus naturale* cum affectionibus *genitivis*; in hac vero evolvantur cum suis affectionibus *adiectivis*, omnes corporis naturalis species. Qvam divisionem ut adcuratissimam adprobant Egregii, & Veteres & recentiores atque moderni Physici. Cui etiam suffragatur ipsa lex methodi.

#### QUESTIO IV.

*An dentur aquæ supra Cœlos?*

**E**xistentiam aquarum supra cœlestium in dubium revocatum eunt perplurimi, quos inter suum nomen profitetur Origenes, nec non Pererius & alij: & in primis aquas supra Cœlos esse,

Cal-

Calvino videtur incredibile. Ve-  
rum hi, & qui eos seqvuntur, aut  
per RAKIA intelligunt aërem,  
aut concessso, quod per RAKIA  
veniat etiam Cœlum, particu-  
lam tamen MEAL explicant non  
per *super*, sed *dèsuper*, sive *subter*,  
cum tamen vir Dei, Lutherus a-  
liique saniores reddiderint recte,  
Psal. 148. v. 4. Laudate Domi-  
num aquæ quæ sunt *supra* Cœlos:  
und die wasser die ober am Hime-  
mel sind. Illi vero per has aquas,  
eas, quæ in nubibus sunt intelle-  
ctas volunt. Verum existentiam  
aquarum supra Cœlos, præter ali-  
os & Theologos & Philosophos Ce-  
leberrimos, asserunt Gesnerus,  
Gerhardus, Rungius & Lutherus;  
primo, propter clarissimam Mosis  
literam; & dixit Deus, esto expan-

sam inter aquas & dividat aquas ab  
aquis. Fecit igitur Deus expan-  
sum, quod distinxit aquas supra  
cœlos ab aquis infra Cœlum, &  
hoc *expansum* vocavit Deus Cœlos.  
Unde qui per Cœlum solum in-  
tellectum volunt aërem, petunt  
principium, cum expansum æquè  
tribuatur æthereo Cœlo quam  
aëreo. Non enim solum Deus  
secundo die aërem sed & Cœlum  
creavit, in quod quarto demum  
diereferebantur stellæ. Manet igi-  
tur hoc Sperlingii argumentū im-  
motæ veritatis: *Ubi* cunquam facta fuit a-  
quarum divisio; & intersuperiores &  
inferiores distinctio, ibi datæ sunt aquæ  
supra cœlestes; atque in Creatione mun-  
di facta fuit aquarum divisio & inter-  
superiores & inferiores distinctio, Er-  
gò etiam ibi datæ sunt aquæ super Cœ-  
lestes.

lestes. Secundo, propter Scripturæ consonantiam; Psal. 104. ver. 2. 3. &c. Tertio ob venerandæ antiquitatis concordiam. Sic enim August: lib: 2. de Gen, ad lit: cap: 4. Major est hujus scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas. Quarto, ob finis convenientiam: sunt enim aquæ supra Cœlos collocatæ ad ornatum & complementum universi, & ut præbeant materiam laudis divinæ. Psalmo 148 ver. 4. Unde qvi alteram sententiam cum Origene, Pererio, Calvino & aliis amplectuntur, refugium quærentes aut in voce RAKIA, aut MEAL, non sunt fortè excusandi.

*An id quod nec sensu, nec ratione percipitur, sit Physicæ considerationis?*

**V**Erum equidem existentiam aquarum supraCœlestium nec sensu nec ratione nobis manifestari, merentur tamen sedem in Physica, cum Physicus totum naturæ latitudinem exhaustire debat. Quod enim sub Subjecto Physicæ continetur, à Physico etiam proponi oportet. Alias neminem non latet sensus sapientiæ fundamenta esse, sed non solos, quin & ipsam rationem, verum non solam, sed requiri etiam S. Scripturam: iungenda hæc; & ubi definit sensus incipiat ratio: ubi definit ratio, incipiat Scriptura: sic ire licebit ad veritatem in profundo latentem. Duce mi sensum sequi

sequi qui volet tantum, sapient pa-  
rum super vulgus. Non existi-  
mabit solem terrâ majorem esse,  
nec Saturnum majorem putabit,  
lunâ. Scripturæ qui adhærebit  
tantum, quæ evidentissima sunt,  
nesciet, & mancam & mutilam da-  
bit scientiam naturalem. Non  
enim prima hujus est intentio, ex-  
plicare mundum. Rationem so-  
lam qui consulet ipse sibi fabrica-  
bit mundum novum: Suppositi-  
ones faciet, quarum falsitates ve-  
ritatis sint fundamenta; negabit  
etiam aptertissima. Sic negarunt  
olim & etiam nonnulli suis  
rationibus freti, Antipodes. Quos  
inter Lactantius, qui Philosophos  
hujus rei defensores falsè irridet.  
Ita fculneis quibusdam rationi-  
bus Zonam torridam non habita-

si, superioribus seculis quidam sibi persuaderunt. Ex his ergò nobis constat, nec sensum sine ratione, nec rationem sine sensu, nec utramq; sine Scriptura, nec Scripturam sine utroq; rerum natura- lium veritatem invenire posse. Manet igitur aquas supra Cœlos sub considerationem Physicam cadere, et si nec sensu, nec ratio- ne, sed sacrâ nobis revelentur Scripturâ.

### QVÆSTIO VI.

*An color videatur?*

**C**olorēm non  $\gamma_{\mu \kappa \omega}$ s, pro omni visibili acceptum, nec pro colore actu movente visum, ied  $\alpha \delta \kappa \omega$ s & virtualiter intellectum, per se non videri vel ex hoc patet, qvia id, qvod noctu in viſum in- currit & illuminat, non colorarum sed

sed lucidum sit necessum est. Qued autem veri vicem ut obtineam, probatum eo, partim à lucis essentia; quæ in hoc consistit, ut primo & per te radiet illumineturq; partim etiam à coloris apparentia: nullus enim color noctu apparere potest, quia noctu non potest illuminari ob absentiam corporum illuminantium & tenebrarum præsentium. Colorem enim si vide remus, ut color est, eum etiam noctu videremus: quod dixerit absurdum est; sed quatenus est color illuminatus. Vide sis Scherzer:

#### QVÆSTIO VII.

*An Adamo alia costa à Deo fuerit indita?*

**Q**Vidam dicunt hanc costam in Adamo fuisse supernume-

rariam, alii autem contrarium sta-  
tuunt, eam nimirum costam in eo  
non fuisse superfluam. Nam si  
priori sententiæ accederemus, se-  
qveretur Adamum fuisse Monstro-  
sum, qvod asserere impium foret;  
sin vero posterior sententia appro-  
baretur, utiq; ille deinceps costâ  
qvâdam caruislet, pariterq; Mon-  
stro non multum absimilis fuisset.  
Rectius ergo; statuim⁹, qvod Deus  
Adamo pro hac costa aliam resti-  
tuit. Costam enim non sumpsit  
ut os nudum, sed carne vestitum,  
qvod Adami propria confessione  
constat: est caro de carne mea &  
os de ossibus meis: proinde verifi-  
smile est, Deum non solum car-  
nem, sed simul etiam os red-  
didisse.

COR-

# COROLLARIA.

1. Cælum est corpus invisibile.
2. Causa fluxus & refluxus Oceani cœnsatur luna.
3. Elementa per se, nec sunt sapida, nec odorata, nec colorata.
4. Principia Chymica nungvam mutantur in Elementa, resolvuntur tamen in ea, cum sint corpora mixta.
5. Temperamentum est accidens, & est vel ad pondus vel justitiam.
6. Aqva maris in prima creatione salsa crea-  
ta est.
7. Non sunt tres hominis partes essentiales, anima, spiritus & Corpus.
8. In homine non sunt tres anima realiter dis-  
tinctæ, anima scilicet rationalis, sensitiva  
& vegetativa.
9. Facultates anima rationalis nimirum, intel-  
lectus & voluntas, risus & sermo, planè  
differunt ab anima.
10. Non solum anima est toto in toto, sed  
& ejus facultates, utpote intellectus & vo-  
luntas, risus & sermo.



**A** Pud Æsopum omni memoriâ dignissima extat fabula de cicadis & formicis, in quibus diversa conspicitur industria, illæ cantando æstivi temporis amænitatem perdunt; hæ verò victum comparando multis laboribusesse exercent. Hoc ut ut dictum sit, multum tamen habet in recessu. Cicadæ enim illos exprimunt adolescentes, qui in flore virentis ævi, feriis vitam consumunt perpetuis: formicæ autem eorum sunt exempla, qui annis florescentibus uberioris pietatis & eruditionis fructus comparant, ut hyeme siue ætate proiecta, nido & alimonia contra frigus, contra famem, contraq; nuditatem corporis susteantur. Ex animo igitur gratulor tibi, Præstantissime Dn. Respon-

spondens; qvi aureo hoc vitæ tuæ tempore otii amator nunquam fuisti, nec studia tua de die in diem distulisti, aut ab iis recessisti, sed omni studio, ut erudita tua dislertatio declarat, bonis in vigilasti litteris, illudq; Ovidianum semper cogitasti: *Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Faxit divina majestas, ut & posthæc in simili studiorum ac laborum genere pergas, faustà & incolumi semper utaris fortuna, & tandem æterna gaudia in cœlis persentis! qvod in summa festinatione itineri accinctus ex animo precatur

JACOBUS Pring  
Kerk. Carel.

**G**enerosi ingenii, profundi pectoris sublimisq; animi est Ardua, quorū cognitio in sancto secessu **S**ecretis re-

rum

rum obstrusarum delitescit, indagare;  
Pertasi vero & abjecti animi musarum  
arcana relinquere. Tuam, præstantissi-  
me Dn. Sympatriota, de prioribus cu-  
ram esse, præsens tua dissertatio docta  
testatur. Perge igitur posthac ut ha-  
denus studiis incumbere, ut tibi ipsi-  
met honori, Parentibus consolationi, &  
amicis Republicæq; utilitati ac emolu-  
mento esse possis. Sic animo baudfu-  
cato vovet

Tuus

GEORGIUS SCHRODDERUS

Ingerm:

Viribus ingenii natura arcana revelans,  
Ad juga Parnassi tentas concendere celsi,  
Te rerum genitor perducat tramite recto,  
Ut possis tandem concendere culmina cœli.  
Sic calamo tenui per amando Sympatriotæ  
Sincerus cecinit JOHANNES STROM-  
MIUS, ecce!

Hægen

**Η**άρετὴ καὶ ἡ παιδεία ὁ ἀσφαλέστατος  
πλάντος ἐσιν, ὃς μηδὲ ἀφαιρεθῆναι δύνα-  
ται, μηδὲ τὸν βασάλοντα βαρύνει· Τάτοις μὲν  
ῥήμασιν, φιλθάτε συμκατοιώτα, πρός σε  
ἴμε τοι δρέφω· οὐκ ἐσιν ἵνα πολὺ τὸ κόσμιόν  
σα ἐνθάδε ἔυλογέω, ἐπειδὴ ἡ ἴδια ἀνθυμία σε  
τῦτο ἀποφανισθει. Άλλὰ χαίρω, ὅτι ἔτως οἱ  
τοῖς γράμμασι διατέτριφας, ἵνα πῦν ἐνὶ τὰ  
προβλῆματα ἐκ τῆς Φυσικῆς συγγεγραμένα  
δημοσίᾳ ἐκ τῆς καθέδρας διασώζειν οὐκ ἀ-  
σχύνῃς. Συνχαίρω δέ σοι Κύριε πατριώτα, ὅσ-  
περ καλῶς ἡρξω προσκαρτερεῖν τοῖς λόγοις,  
ἔτω καὶ ποιῶν διατελέτης· ἵνα μικρῷ ὕστερον  
τῇ μὲν ἐκκλησίᾳ καὶ Ἰη ὠφέλεια, τῇ δὲ πατρίδε  
καὶ τοῖς φίλοις δόξα, τοῖς δὲ γονεῦσιν ἱδοιῇ μηδὲ  
παραμυθία ὥν τυγχάνῃς!.

Gratulabundus hæc pauca  
adficere voluit

DAVID A. ASSENIUS  
Wib: Suburb:

VIRO

VIRO JUVENI  
Artium humaniorum virtutumq; stu-  
diiis egregiè excuto

DN. BALTHASARI GOVINIO,  
Disputationem Physicam miscel-  
lam proprio Marte Scriptam publicè  
defendant, amico & conterra-  
neo honerando.

Quæ natura, suo, rerum fœcun-  
da creatrix,

Continet ampla sinu, detegis ore  
Tuo. (ergo

Et scripto recitas docto, congratulor  
Hisce tuis ausis præmia justa feres,  
Ad patrias sospes postquam pervene-  
ris oras,

Te lati excipient suspiciensq; simul.  
Et Pater & mater perblando gaudia  
vultu,

Edeni, cum cernūt impavidus auctor tua.

Gratulatur  
JOANNES WÄGERI  
Neoviensis.

1623 1623

Mf RV 5555